

8  
QUESTIONES THEOLOGICÆ  
De  
SACRAMENTIS:  
QUARUM DECISIONEM

Auxiliante Deo

SUB PRÆSIDIO  
REVERENDI, CLARISSIMI AC  
CELEBERRIMI VIRI, DN. JOHANNIS PI-  
scatoris SS. Theologiæ in illustri Nassoviorum Athenæo  
Professoris primarii, præceptoris sui omni honore  
& observantiâ colendi,

*Publica censura subjiciet*

GEORGIUS CLAPHOUWERUS  
Borcolœnâs Geldrus.



HERBORNÆ NASSOVIORUM,  
Ex officina typographica Christophori Corvini.

clō 15 CXL



REVERENDIS, PIETATE, AC ERUDITIONE EXCELLENTISSIMIS VIRIS:

- D. JOHANNI PISCATORI,  
D. HERMANNO RAVENSBERGERO, SS. Theol. Doctori,  
D. GUILIELMO BAUDARTIO Ecclesiae apud Zutphanienfes Ministro fidelissimo, fautori suo honorando.
- In illustri schola Herborensi SS. Theolog Profeforibus fidelissimis, Praeceptoribus omni observantia colendis.

NOBILISSIMIS, NATALIUM SPLENDORE, OMNIQUE VIRTUTUM GENERE PRAESTANTISSIMIS JUVENIBUS,

- D. JACOBO RIPPERDA,  
D. HERONI MAURITIO RIPPERDA,  
D. HENRICO à CAPELLEN.  
D. ARNOLDO HONDT bonarum ac liberalium artium studiosis.
- Fratribus germanis.

*Dominis ac amicis suis suavissimis:*

Hasce de Sacramentis quaestiones in gratitudinis *τεκμήριον*, & amoris symbolum

*dat, dicat & offeret*

G. CLAPHOUWERUS A. & R.





## Q U Æ S T I O I.

*Quæ sint N. T. sacramenta?*

**R**ontificii scribunt, septem esse N. T. sacramenta: Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, Pœnitentiam, Ordinem, Unctionem & Matrimonium. Orthodoxi verò præter duo prima nulla alia agnoscunt. Illa quippe duo à Christo esse instituta, ex Evangelistis, *Matth. 26. 26. & 28. 29. Marc. 14. 22. & 16. 15. Luc. 22. 19.* didicerunt. Reliqua à Papa ficta credunt, quia ea in scripturis non inveniunt.

## Q U Æ S T I O II.

*Quanam sit sacramentorum N. T. efficacia?*

Ad efficaciam sacramentorum N. T. quod attinet, Papistæ ajunt, ea in se habere vim & virtutem gratiam ex opere operato conferendi, id quod Orthodoxi constanter negant. 1. Quia non sunt causæ, sed signa gratiæ. Dicitur autem Baptismus mundare & abluere peccata, *Act. 22. 16. Eph. 5. 26.* non quòd vim illam in se habeat, sed quia mundationem seu abluionem peccatorum utentibus legitimè obliquet. Efficacia namque conferendæ gratiæ, solius Spiritus S. est: qui virtutem & efficaciam mortis Christi per verbum Dei & sacramenta verbo annexa, tanquam organa, per fidem nobis applicat. 2. Si sacramenta conferrent gratiã, gratia alligaretur signis externis. At hoc non fit, *1. Pet. 3. 21.* 3. Adde, quòd in Scriptura legimus, aliquos ante sacramenta, ut Cornelium, *Act. 10. 5.* alios sine sacramentis, ut Abrahamum, qui ante circumcisionem justificatus fuit: & latronem, qui in cruce pendens, sine baptismo externo & Cænâ, fide & spe vitæ æternæ donatus est, gratiam accepisse. Alii verò sacramenta accipiunt, sine gratia, quia fide destituti sunt, ut Judas, de quo *August. Accepit panem Domini, sed non panem Dominum.* Manet igitur, quòd non sint causæ, sed signa gratiæ. Hinc *August. Quæst. sup. Levi. lib. 3. quæst. 84.* Nihil profuisse *Simoni Mago baptismum, ait, cui sanctificatio invisibilis desuit: & paulo post, Visibilis san-*



Etificatio, qua fit per sacramenta visibilia, sine ista invisibili potest quidem adesse, sed non prodesse.

### QUÆSTIO III.

*An Baptismus simpliciter ad salutem sit necessarius?*

Ratione mandati divini est quidem necessarius: verum non ἀπλῶς, ac si nemo sine illo servari posset; quod Pontificii volunt. 1. Quia nō privatio, ut rectè monet Bernardus, sed contemptus sacramentorū damnat. 2. Si omnes illi sunt damnati, qui in N. T. sine baptismo moriūtur, tunc sequitur, etiam illos esse damnatos, qui in V. T. sine circumcissione sunt mortui. Id quod pugnat cum professione Davidis, 2. Sam. 12. 23. 3. Si baptismus externus absolute esset necessarius, tunc Christus, posteaquam Marc. 16. 16. dixisset: *Quicumq; crediderit & baptizatus fuerit, servabitur*; postea subiecisset non tantum hæc verba: *Qui non crediderit, condemnabitur*; sed addidisset: *Qui non baptizatus fuerit*, ut in priori. 4. Gratia non alligatur signis: alioquin omnes accipientes signa, acciperent etiam gratiam, quod est contra scripturam, Act. 8. 13. & seqq.

### QUÆSTIO IIII.

*An Baptismus peccatum originis plenè ac totaliter tollat?*

Pontificii affirmant: Orthodoxi verò negant, suamq; sententiam primò ita explicant. Peccatū originis in homine tollitur per baptismum, quoad reatum & statum personæ; manet verò actu propter naturæ statum, quoad ipsam radicem. Deinde probant. 1. Quod hominem baptizatum ad actualia peccata provocat, & in ipso poenâ dignum est, miserumq; ipsum efficit, illud non totaliter per baptismum tollitur. At peccatum originis id facit post baptismum, Roman. 7. 20. 24. 2. Peccatum originis in baptizatis adhuc hærere, præter testimonium allegatum testantur & hæc, Col. 3. 5. Eph. 4. 22. 1. Joh. 1. 8. 3. Quicumq; moriuntur, necesse est ut habeant peccatum, Rom. 5. 12. At multi infantes post baptismum moriuntur ante annos discretionis. Ergo post baptismum adhuc habent peccatum. Non autem actuale. Originale igitur. Neq; quicquam momenti habet elumbe illud Romanensium effugium: Remanere quidem in baptizatis peccati fomitem seu concupiscentiam: at illam non esse post baptismum propriè peccatum. Nam quicquid concupiscit adversus spiritum, & per pravas cupidi-



cupiditates, hominem ad peccandum instigat, illud est peccatum proprie dictum. At concupiscentia prava in homine regenerato post baptismum id facit, Gal. 5. 17. Jacob. 1. 14. 15. Ergo.

Q U Æ S T I O V.

*Quinam sit genuinus verborum illorum: Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus, in institutione Cene Domini sensus?*

Papistæ illis verbis tribuunt hunc sensum: quasi Christus dixisset, **SUB** hac specie vel similitudine panis latet corpus meum: item, **SUB** hac specie seu similitudine vini latet sanguis meus. Alii verò sic exponunt: **SUB** vel **IN** vel **CUM** hoc pane substantialiter præsens est corpus meum: item, **SUB**, vel **IN**, vel **CUM** hoc vino substantialiter præsens est sanguis meus. Nos verò utramque illam expositionem rejicimus. 1. Quia panis & vinum in Cæna Domini non amittunt suam substantiam, sed manent verus panis & verum vinum: ut percipitur ex verbis, *Edite, Bibite*: quibus verbis utique iussit Christus edere panem, non speciem panis; itemque bibere vinum fructum vitis, *Matth. 26. 29.* non autem speciem vini. 2. Quia ubi corpus Christi substantialiter præsens est, ibi videri & tangi potest: ut docet Christus, *Luc. 24. 39.* Ergo falsum est, quòd lateat, vel sub specie panis, vel sub ipso pane. 3. Quia corpus & sanguis Christi in prima Cæna erant extra panem & vinum illius, ut ex historia Evangelica patet: Hodie autem est in cælo, ibiq; manet usque ad diem iudicii. *Act. 1. 11. & 3. 21. 1. Cor. 11. 26.* Porrò genuinum illorum verborum sensum dicimus esse hunc, quòd Christus voluerit dicere, Hunc panem esse sacrum signum corporis sui, quo ipse nobis testetur, illud pro nobis crucifixum esse: itemque vinum hoc esse sacrum signum sui sanguinis, quo ipse nobis testetur, illum pro nobis effusum esse in remissionem peccatorum. Hæc expositio confirmatur primò è scopo seu fine Christi Cænam instituentis: qui nimirum est, ut in memoriam nobis revocaret mortem suam, juxta verba: *Hoc facite ad mei recordationem*: quæ Paulus de annunciatione mortis Domini interpretatur, *1. Cor. 11. 26.* Deinde ex analogia sacramentorum aliorum: quippe de quibus Scriptura eundem loquendi modum usurpat, ut scilicet rem significatam de ipso signo enunciet, ut videre est

*Genes. 17. versu 20. Exod. 12.*

*versu 27.*



QUÆSTIO VI.

*An in Cena Domini panis & vinum in ipsum Christi corpus  
convertantur, manentibus solum panis & vini  
accidentibus?*

Pontificii affirmant, Orthodoxi negant: idque propter has rationes.  
1. Quia sententia Pontificiorum nullo scripturæ testimonio probari, sed  
multis refutari potest. Apostoli quippe & Evangelistæ expressè panem  
& vinum esse dicunt, 1. Cor. 10. 16. & 11. 26. Matth. 26. 29. 2. Si panis conver-  
titur in ipsum corpus Christi, tunc non est amplius verus panis, ac proinde  
analogia ejus ad rem significatam tolletur, quæ tamen necessariò ad sacra-  
menta requiritur. *Sacramenta enim si earum rerum, quarum sunt sacramenta,  
similitudinem non habent, omnino sacramenta non sunt. ut rectè dixit Augustinus  
Epist. 23. ad Bonifac.* 3. Quia in baptismo nulla fit mutatio aquæ in sangui-  
nem Christi. Ergo nec fit in Cæna talis conversio, cum sit eadem utriusque  
sacramenti ratio. 4. Multa sequerentur absurda. 1. Christum nunc non  
esse perpetuò in cælis. 2. Christum non venturum ad judicium. nam qui  
præsto est, non opus habet ut redeat. Plura vide apud Sadeel. de spirit. man-  
duc. D. præsid. in vol. 2. thesum. disp. 18. Ursin. Catech. Polan. lib. 6. cap. 56. Syntag.  
Theol.

QUÆSTIO VII.

*An in Cena Domini corpus Christi realiter seu substantialiter  
presens sit SUB, vel IN, vel CUM pane; itemque sanguis  
ejus SUB, vel IN, vel CUM vino?*

Hoc Evangelici quidam affirmant: nos negamus, idque ex his fun-  
damentis. 1. Quia id è sacra scriptura non potest probari. 2. Quia ista  
sententia pugnat cum articulis fidei nostræ de veritate corporis Christi,  
de ascensione ejus in cælum, de mansionem in cælo usque ad ultimum ju-  
dicium, & denique de reditu ejus ad judicium.

QUÆSTIO VIII.

*An Missa sit sacrificium propitiatorium pro peccatis  
viventium & mortuorum?*

Pontificii affirmant: nos negamus, idque ex his fundamentis. 1. Quia  
illud sacrificium, neque quoad sensum, neque quoad verba, fundatum est  
in scri-



in scriptura. 2. Quia pugnat cum doctrina scripturæ. In hac enim dicitur quod peccata nostra unico Christi sacrificio expiata sint, *Heb. 9. 12. & cap. 10. 12. 14.* 3. Si Missa est sacrificium in remissionem peccatorum, tunc tot sunt Mediatores, quot sunt Missifici. At hoc blasphemum. Connexum probatur, nam unusquisq; se pro peccatis corpus Christi offerre affirmat. 4. In omni sacrificio expiatorio sanguinis effusio requiritur, *Heb. 9. 22.* At in Missa non fit sanguinis effusio. Ergo. 5. Sacerdoti æterno vicarium temporarium substituere nefas est. Christus autem est sacerdos æternus, *Heb. 7. 17.* Plura lege apud Sadeel. de vera remissione peccatorum. *Urs. in Catech. pag. 585. Sohn. tom. 3. explic. Psal. 66. de sacrificio Missæ. Calv. lib. 4. Inst. c. 18. Musc. in locis communibus.* Rectè igitur Missa in *Catech. nostra quæst. 80.* idololatria execranda nuncupatur.

### QUÆSTIO IX.

*An panis azymus & vinum aquâ mixtum in Cæna Domini sint necessaria?*

Pontificii affirmant: nos negamus. Nam etsi Christus in prima Cæna, pane azymo usus est, in eo tamen nõ habuit rationem panis azymi, sed simpliciter panis cibarii. Id quod patet tum ex eo, quod tunc panis azymus Judæis edendus erat propter festum pasche: tum ex eo, quod Apostoli Cænam Domini celebrarunt apud Christianos conversos è gentibus, apud quas azymi panes in usu non erant, ut videre est *Act. 20. 7. 1. Cor. 11. 20. & seqq.* Ad vinum verò quod attinet, etsi apud Orientales moris erat, vinum aquâ miscere; tamen incertum est, an illud factum sit in sacra Cæna Domini. Deinde si maximè de eo constaret, tamen nullam importaret necessitatem; quia Christus simpliciter habuit rationem vini tanquam potus exhilarantis cor hominis: ut doceret, sanguinem ipsius, quatenus in cruce effusus est, esse verum illum potum, quo animæ fidelium exhilarentur, & recreentur ad vitam æternam, *Joh. 6. 54.*

### QUÆSTIO X.

*An in Cæna Domini tolerandi sint circuli illi farinacei, quos hostias nominant?*

Pontificii hostias illas, ut necessarias, retinendas contendunt: Evangelici quidam tolerandas putant: nos neutris ad stipulamur, sed abolendas judicamus, idq; ex his fundamentis. 1. Quia non sunt à Christo institutæ, ut liquet ex verbis institutionis. 2. Quia pugnant cum legitima sacræ



Cenæ administratione, à Christo instituta: cum non sint aptæ, ut in partes, inter communicantes distribuendas, frangantur. 3. Quia non sunt justæ crassitie, ut rectè mandari possint. 4. Quia non habent vim alendi: ac proinde non possunt repræsentare alimoniam illam spiritualem, quam habemus è corpore Christi, quatenus pro nobis crucifixum est. 5. Quia fovent superstitionem rudis plebis, quasi in illis mirabiliter lateat corpus Christi.

#### QUÆSTIO XI.

*An laici (quos vocant) sacram Cenam tantùm sub una, ut loquuntur, specie, videl. panis, participare debeant?*

Pontificii id affirmant: Nos verò negamus. 1. Quia Christus suis Apostolis, qui tum temporis totum fidelium cœtum repræsentarunt, tam vinum bibendum, quam panem edendum præbuit, *Matth. 26. 26. & Apostoli sic administrarunt, 1. Corinth. 11. 26.* 2. Hinc efficeretur, illa verba, *Qui pro vobis effunditur*, quæ consolationis sunt plenissima, nihil ad Laicos, sed ad solos (quos vocant) Sacerdotes pertinere. Atqui Christi sanguis pro omnibus fidelibus communiter est effusus. 3. Omnes fideles mortem Christi in sacra Cœna commemorare debent, *1. Corinth. 11. 26.* Ergo debent in ea accipere media ad hoc à Christo instituta.

#### QUÆSTIO XII.

*An impii in Cena Domini manducant corpus Christi? Neg.*

1. Quia, qui manducant corpus Christi, habent vitam æternam, *Joh. 6. 51. & seqq.* At impii non habent vitam æternam. Ergo. Quod ipsum etiam *ius Canonicum pro vero agnoscit, de consecr. dist.* 2. *Qui ducordat à Christo, non manducat carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, et si tanta rei sacramentum ad judicium suæ perditionis accipit.*

#### QUÆSTIO XIII.

*An fractio panis in Cena Domini sit ritus necessarius?*

Affirmamus: idque ex his fundamentis. 1. Quia Christus primam Cœnam administrans, exemplo suo docuit Apostolos, eorumque successores



fores, quomodo Cœnam administrare debeant. 2. Quia Christus in Cœna sacra administranda panem fregit ad representandum crucifixionem corporis sui, atque ita ad reuocandam fidelibus in memoriam mortem suam: ut percipitur ex verbis Pauli, *1. Corinth. 11. 24.* Ob hunc autem finem Christus hanc Cœnam instituit: ut è verbis institutionis constat. 3. Quia Christus in hac Cœna iussit edere non simpliciter panem qualemcunque, sed panem fractione à se consecratum in symbolum corporis sui fracti, id est, crucifixi, ut liquet è serie verborum institutionis. Quo ipso ministris præcepit, ut panem prius ante oculos communicantium frangant: quia secus communicantes mandato illi Christi obedire non possent. 4. Quia Paulus ait, se à Domino accepisse quod de sacra hac Cœna administrandâ Corinthiis tradiderat, *1. Cor. 11. 23.* Tradiderat autem illis etiam fractionem panis, *1. Corinth. 10. 16.*

#### QUÆSTIO XIII.

*An jejuni tantum, an verò etiam cibati, sint ad Cœnam hanc admittendi? Resp.*

Sine discrimine tam cibatos, quàm jejunos ad Cœnam admittendos esse dicimus: dummodò nihil aliud obstat, cur arcendi videantur. Nec tamen improbandos eos, qui ad Cœnam idèò jejuni accedunt, ut precibus & sanctis meditationibus ardentius vacare possint: dummodò omnis ab sit superstitio. Rationes inter cæteras sunt hæc: 1. Quia nullum extat Scripturæ mandatum, quo cibati ab usu Cœnæ arceantur, sed id à Papa est introductum, ut videre est in *tertia parte decretorum de consecrat. dist. 1. cap. 49.* ubi hæc sunt verba: *Sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus sunt celebranda.* 2. Quia illi qui sunt infirmi corpore, facillimè in λεπθυμειαν inciderent, si nimirum Cœnæ administratio in multas horas (ut in magnis Ecclesiis fit) protraheretur. 3. Quia in prima Cœnæ institutione omnes erant saturati esu agni paschalis, *Matth. 26. 26. Marc. 14. 22. 1. Cor. 11. 24.*


#### QUÆSTIO XV.

*An calices sint necessario in Cœna Domini retinendi? Resp.*

Ecclesia non est alligata certæ formæ & materiæ poculi, ideoque liberum est uti calice vel non, cùm non sit à Christo vel mandatum vel pro-



hibitum. Verùm ad superstitionē populi eradicandam, putantis calici singularē inesse sanctitatem, præstat non usurpare Papisticos illos calices, sed pocula vulgaris figuræ. Quod ipsum etiam Græca vox ποτήριον innuit. Est enim nomen generale, quo quodvis poculum, quo homines uti possunt ad bibendum, significatur. Malè itaq; hæc vox est reddita per vocem Calicis.



#### COROLLARIUM.

**A**N Cena Domini sit peragenda in vernaculo uniuscujusq; gentis sermone?  
Affir. Contra Pontif.

Finis quæstionum Theologicarum.



#### Epigramma

IN HONOREM DOCTISSIMI DOMINI RESPONDENTIS amici sui.

**M**agni momenti res est, arcana Jehovahæ  
Noscere, quæ verbo protulit ille suo.  
Ejus nam spectant laudes, animæq; salutem,  
Quæ duo sunt verbi summa, caputq; sacri.  
Adde sacramentum, fidei quo munera crescunt,  
Auribus atq; oculis sic patet alma fides.  
Hoc tu, CLAPPHOUWERE, videns, tibi pabula mentis  
In sacro verbo non sine fruge paras.  
Teq; ita confirmas, aliis ut commoda præstes,  
Commoda quæ nullo sunt peritura die.

M. Henricus Gutberleth Philos. Professor.





ORNATISSIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO GEORGIO CLAPHOUWERO, AMICO  
ab incunabulis ferè notissimo, & medullitus charissimo,

*δημοσίᾳ* disputaturo.

**C**Um te sacra diu sacri mysteria verbi,  
Nec non virorum volvere  
Cernebam libros: mirabar sæpe laborem  
Tuum, sacri sed nescius  
Propositi: multum dum miror, tute paratus  
Prodis, subire prælium  
Theulogicum cupiens, quo possis noscere dogma,  
Quod de sacramentis sonat.  
Nunc te præstato fortem, præstato virilem  
In hoc sacro certamine:  
Nunc igitur gladium comprehendito flaminis almi:  
Theses tuas defendito.  
Sic tu dicèris meritò, sic jure γεινόμενος;  
Arando sic agrum sacrum.

Moris & amoris ergo depromsit Anno

*SVpreMo Deo LAVs & gLoria.*

BERNHARDUS CONRADI  
Rheincensis Westphalus.






ORNATISSIMO AC VARIO DOCTRINA-  
 RUM ET VIRTUTUM GENERE CONSPICUO, VIRO  
 juveni, Domino GEORGIO CLAPHOUWERO,  
 SS. Theologiæ studiofo, amico amicissimo.

**G**estas Castaliæ caput corollam,  
**E**tstant verba Dei verenda corde.  
**O**s en spurcitie caret nefandâ.  
**R**es te fugiunt minus decore,  
**G**ens hinc Borkloïdum; propago iustâ,  
**I**psè & Geldrus habet quod ore cantet.  
**V**t possis igitur fru hoc decore,  
**S**is sanus. studium tuere cœptum.

Amoris ergo accinebat Gu-  
 lielmus Pistorius G. L.



*Ad D. contubernalem & commensalem suum, ac  
 fratrem suavissimum.*

*Tit. 1. v. 9.*

**T**U monitu Pauli defendis dogmata vera,  
 Convellis doctè falsorum dogmata falsa.  
 De sacramentis quæ tradit pagina sacra  
 Hostes adversus defendis fortiter, atque  
 Quod verum est stabilis, quod falsum trudas ad orcum.  
 Hinc tibi perpetuæ venient encomia laudis.

*Henricus Pithan, Sige-  
 nensis Nassov. F.*

**F I N I S.**





ORNATI  
DOMINO GE  
ab incunabu

CUn  
Cerneba

Propofit

Theulog

Nunc te

Nunc ig


Sic tu die

M



MO  
MICO

ADI  
lus.



the scale towards document